



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv  
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

1. Iaponiæ situs, partes, ingenium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**



## LIBER TERTIVS.

**D**INTER monumenta Iaponiæ vetera ( si fabula pro*I*  
 monumento est ) mira quædam signantur de terra Iaponiæ si-  
 condita , & prima hominum propagatione. Mundo *tus, partes,*  
 nempè informi , & confusis adhuc in chaos elemen-  
 tis , latuisse in uno globorum cœlestium Iezzanamini-  
 quendam , cum sua vxore Izzauanghe , solos in homi-  
 num genere. Illum sedis mutandæ cupidum , vncō iacto in massam , terra ,  
 & aquis mixtam , sursum inde luti paucillum tulisse , id sensim auge-  
 scens , fundensque se latius , in paruam insulam tumuisse , quæ nunc  
 Auagis nominatur ; eam sole duratam , & vestigij patientem , cœpisse ab  
 iis cœlo delapsis habitari , fuisseque hanc terram antiquiorem ceteris  
 omnibus. Illic prole ætus numerosa ; creuisse pariter pro nascentium  
 multitidine insulam , dum immensum porrectam , Izzanamis , in multas  
 dissecurit , quas filii suis hæreditarias ad habitandum distribuit , & hanc  
 esse germanam Iaponiæ totius originem , eiisque insularum. Digna ip-  
 forum genio fabula ut qui hominum primi ; & stirpe cœlesti editi ; &  
 præstantissimi omnium nationum habeti velint , colique tanquam uni-  
 versorum parentes mortaliū : & fuit non nemo , qui ratus Iaponiam  
 Orizontis limbum ab ortu nobis efficere , & Nifon vocari audiens ( quid  
 solis principium sonat ) adscriptis illi Excellentie nescio quid , velut ca-  
 piti orbis , & portæ Solis Orientis. Sed hoc ludibrium est ignorantium  
 obliquitatem Sphaeræ , & numerum circulorum meridianorum , hora-  
 rūmque , æquinoctij gradibus distinctorum. Iacet ad ortum Iaponia , &  
 ab gradu trigesimo ad quadragesimum alterum , Septemtriones versus ,  
 protenditur : Italiam aliquanto amplitudine excedit : annis haud pluri-  
 bus quam septem ante Xauerij in eam aduentum ab Lusitanis detecta  
 est , Anno videlicet 1542. ab ortu procul Americanam habet quam hac in  
 Californiam pertingit , Sinas ab occasu ( seu verius Coraum ) propior  
 adspicit ; vastissimo ad austrum Oceano ; Iessi regno à Septemtrione  
 præcluditur , de quo nondum liquet , utrum Insula sit , an Tartarie con-  
 tinens . Iaponiense imperium componunt regna numero quam spatiis  
 maiora , ex accuratissimo illorum scriptore sexaginta octo ; ex aliis sex  
 & sexaginta , octo insulis ea continentur , quarum primariae tres . Primæ  
 Saicocus ( hoc est Iaponicæ Regna ad occasum ) nec nisi inscritia errore  
 Scimon eam vocari aiunt , quid regionem inferiorem significat . Regnis  
 Saicocus propriis nouem constat ; quibus Ichis , & Tauscima insulae ,

T alia

manu[m]  
 2. serua  
 3. serua

alia duo adiiciunt. Altera Scicocus, regna nisi quatuor non habet sua; nam quintum Auagis insula illi addit. Tertia omnium maxima, absque nomine est. Nifonem, esto, multi eam appellant, sed ea vox toti est imperio communis; quodque nos Iaponem dicimus, hoc Sincenes Iaponem; vulgo indigenæ Nifonem appellant. Regna comprehendit omnino quinquaginta, sed Ochis, & Sando insulæ, duo præterea ditionis eiusdem regna efficiunt. Extra quas dixi tres principes insulas, totum circumquaque minusculis velut constitutum arctatur mare, scinditurque in sinus varios insulis, quibus est facilis & breuis ex vnius ad alias traiectus. Solum ferè montosum; planæ ferendis frugibus rariora, quamquam alienis incolis non parca; datura uberior, si colonos haberent diligentiores. Aquis enim montes perennibus passim scaturiunt, quibus in fluvios collectis, valles, & campi liberaliter pinguescunt. Sed nec ipsi montes (alicubi nubibus altiores) suis opibus carent quibus suos Iapones locupletant. Fodinis abundant argenti feracibus, ad quod Europa & India navigat; in id Iaponij sat macram operam & tenuem conferunt; haud tamen usque adeò sterilem, quin ad aureorum millia quingenia ex eo annua referant, cius enim pretij glebis argenteis Valignanus scribit vidisse quotannis Sinensis serica ab Lusitanis permutari. Sunt & aliis montes subterraneis specubus, & venis metallorum, ac sulphuris ubique pensiles; & multis locis perpetuò ardentes. Cœlum, etiæ eiusdem cum Sicilia, & inferiore Italia ingenij, at longè frigidius; opinor montibus pluias dierum interdum quadraginta, in niues densantibus. Sed violentia ventorum nihil infestius, statis anni temporibus flatum impetum, horas viginti quatuor eundem continuant, & quacunque turbinem egerint, integras deuant regiones. Quare vñā tantum ades assurgunt contignatione; nobili tamen, ut apud nos aularum, & conclavium ordine, numeroque digestæ; ac licet nec fornicibus arcuatae, nec parietibus è saxo, aut latere, ob crebros illic, & validissimos terræ motus, sed simplici ex ligno constent; sunt ad aspectum pulcherrimæ, commodissimæ ad usum. Prima earum molimina trabes neeunt ingentes, apud nobiles ex cedro; quæ arbor illic enormi crassitæ, ex montibus cæditur; parfetes tabulis, è cedro pariter, sive alia arbore, æcum ferente compinguntur. Sed illinuntur utrumque gummitione splendidis simi candoris quam nec humor nec aquæ diluunt. Scamnis propterea, & sedibus carent, quod vel talis suis soliti sint, vel humi insidere, tibiis Saracenorum more decussatis, idcirco pauimenta stœrae vestiunt subtilibus intextæ paleis, sed in domibus virorum principum adhibentur multo serico, & argento, eleganti opere belluante.

2. Iam vero incolarum olivarius color; statura infra mediocrem; si quibus altior, prærogatiuam formæ nobilis, ij ferunt; oris species ab nostra multum dissimilis: ex quo sit, ut nostri simulare partiam non possint, ad proscriptionum capitalium acerbitatem deuitandam. Mox enim ut comparuerint, peregrinitatis arguuntur. Angusti oculi, nasus parum extans,

Iaponum  
forma &  
mores.